



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid sit, & quotuplex?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

VI. Dari potest absolutio sub conditione de futuro contingenti ; cum sit actus jurisdictionis externæ, qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non expedit sic absolvi: si enim reus absolutionem meretur, non debet apponi conditio, si non meretur, non debet absolvi.

VII. Potest etiam dari absolutio ad reincidentiam, id est, pro certo actu & tempore, quo transacto reincidat : item sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat.

VIII. Probabilius est, eum qui habet potestatem absolvendi in foro conscientie à censura, posse id facere etiam extra confessionem, ut contra Navar. Suar. & alios docet Sanch. l. 8. de matr. d. 16. Con. Dian. &c.

CAPUT II.

De Excommunicatione.

DUBIUM I.

Quid sit, & quotuplex?

R Esp. Excommunicatio est censura, per quam quis privatur communiōne Ecclesiæ. Estque duplex: Minor, quæ tantum privat usu passivo, seu receptione Sacramentorum, & Major, quæ etiam dicitur Anathema, ac in jure ferè semper nomine excommunicationis intelligitur, privatque omni communiōne Ecclesiastica, secundum dicenda. Per hanc Majorem excommunicatus, rursus est duplex: Toleratus, quem fi-

deles

deles non tenentur vitare: Non toleratus, quem tenentur vitare. Et quidem post *Concilium Constantiense*, non tolerati sunt hi tantum. 1. Notorius Clerici percussor, de quo *infra*. 2. Quivis nominatim excommunicatus, & specialiter ac publicè denunciatus. *Vnde resolves.*

I. In Germania Catholici securè communicant cum iis, qui notoriè sunt Hæretici, & consequenter excommunicati, quia non sunt nominatim excommunicati, ac publicè denunciati.

II. Non teneris vitare eum, quem scis peccasse contra legem, per quam illi, etiam in particulari, sub pœna excommunicationis aliquid est vetitum, vel præceptum: quia requiritur, ut per sententiam expressam & specialem contra personam in particulari, post peccatum commissum, censura sit publicata, v.g. ut Joannes sit denunciatus excommunicatus; vel saltem ita exprimaturs persona, ut non liceat de ea dubitare, v.g. excommunicamus talis loci Decanum, Prætozem.

III. Licet dicatur, Excommunicamus Petrum, v.g. incendiarium, & ejus complices, solus Petrus vitandus est, non verò alii, etsi sint notorii: quia sententia quoad illos, est tantum generalis, & non specialis contra certam personam.

IV. Non teneris vitare eum, qui privatim in conclavi est denunciatus: quia id non est factum publicè: ad hoc enim requiritur, ut sententia legatur, vel affigatur aliquo loco celebri, v.g. in templo tempore concionis, vel aliter pro more regionis.

DU.